...alb. Joach. Orator in cathedra Pe...
voce gratiosa disertus.

ORATOR
IN CATHEDRA PETRI
Voce Gratiosa
DISERTUS.
D. JOANNES
CANTIUS
CONFESSOR,
Sacræ Thæologiæ in Universitate Cracoviensi
DOCTOR, & PROFESSOR.
Regni Poloniæ, M. D. Lithvaniæ, & Universitatis
PATRONUS.
Resonante solennitatis suæ die
IN CATHEDRALI POSNANIENSI BASILICA;
Illustrissimæ Perаugusti CAPITULI Præsentiæ,
& Amplissimæ Magnorum Hospitum Audientiæ.
Per
M. ADALBERTUM JOACHIMUM FOLTANSKI,
in Alma Universitate Cracoviensi Philosophiæ Doctorem, in Academia Posnaniensi Rhetorices, & Dialectices Professorem,
devota apotheosi
DECLAMATUS.
Annô Domini 1748. Die 20. Octobris.

POSNANIÆ, Typis ACADEMICIS.

PROGRAMMA.

HIERONYMUS HORLEMES DecanusNèomeſtẽſis.

ANAGRAMMA.

O Vir! lumine tenes Senes, das meſſem, hic Honor.

EPIGRAMMA.

O VIR Lux morum ! pulcherrima Norma Virorum !
LUMINE Qui Clero præcedis tramite vero,
AtquèTENES virtute SENES, exemplar ad omnes.
Filius Agricolæ (a) cùm MESSEM DAS Animarum,
Non manuum perdit Te fido Patre labores,
HIC HONOR ergoTibi maneat, per ſæcula longa
Eccleſiæ, Populo, Clerovè vive DECANE.

(a) *Filius Agricolæ dicitur Chriſtus.* Joann: cap: 15.

Reverendiſſimo, Perilluſtribus, Illuſtribus; & Admodum Reverendis Dominis.

DECANO,

PRÆPOSITIS, PAROCHIS, COMMENDARIIS, VICARIIS, MECÆNATIBUS AMPLISSIMIS,

totiquè Inclytiſſimo

DECANATUI NEOMESTENSI.

Perilluſtri, & Admodum Reverendo Domino, HIERONYMO HORLEMES, Decano Foraneo, & Præpoſito Nèómeſtenſi.

Perilluſtri, & Reverẽdiſſimo Domino, ANTONIO MIASKOWSKI, Scholaſtico Cathedrali Poſnanienſi, Præpoſito Dębnenſi.

Illuſtri, & Admodum Reverendo Domino, ADAMO PRUSNIEWSKI, Præpoſito Jarocinenſi, Vice Decano.

Illuſtri, & Admodum Reverendo Domino, PETRO *de Rozdrażewo* ROZDRAZEWSKI, Præpoſito Radlinenſi, Beneficiato Miąſkovienſi.

Illuſtri, & AdmodumReverẽdoDomino, PAULO PIERSCHLINSKI, Præpoſito Zerkovienſi.

Illuſtri, & Admodum Reverendo Domino, MATHIÆ TYMEK, Præpoſito Vilkovienſi, Beneficiato Cieleſenſi, Actorum Decanatûs Notario.

Admodum Reverendo Domino WOLNIEWICZ, Præposito Hospitali Jarocinensi.
Admodum Reverendo Domino, ANTONIO OLINSKI, Parocho Pogorzeliensi.
Admodum Reverendo Domino, JOSEPHO BRODNICKI, Parocho Siedliminensi.
Admodum Reverendo Domino, ANDREÆ KRULIKIEWICZ, Parocho Panecensi.
Admodum Reverendo Domino, ANDREÆ JOZEFOWICZ, Parocho Brzeſtkoviensi.
Admodum Reverendo Domino, JOANNI ADAMOWICZ, Parocho Biezdziadoviensi.
Admodum Reverendo Domino, PETRO PILSKI, Parocho Lgovensi.
Illuſtri, & Admodum Reverendo Domino, MATHIÆ JUSZKOWSKI, Præposito Witaszycensi.
Admodum Reverendo Domino, ANDREÆ GRABKOWSKI, Parocho Słabosensi.
Admodum Reverendo Domino, MATHIÆ WYSZKOWSKI, Parocho Lutinensi.
Admodum Reverendo Domino, STANISLAO LUBONSKI, Parocho Włosciecensi.
Admodum Reverendo Domino, BONAVENTURÆ KOZŁOWSKI, Parocho Golinensi.
Admodum Reverendo Domino, LUCÆ ZMYSŁOWSKI, Parocho Mchovensi.
Admodum Reverendo Domino, LAURENTIO KLAWITER, Parocho Xiążnensi.
Admod: Rever: D. ILDEPHONSO RADOMSKI, Parocho Gorensi.
Admod: Rev: D. VALENTINO MANTEY, Parocho Chwałkoviēsi.
Admod: Rev: D. MARTINO WROTECKI, Parocho Gogoleviensi.
Admod: Rev: D. CASIMIRO MOCZYNSKI, Cōmendario Dębnēsi.
Admod: Reveren: D. JOSEPHO TRZĘMESKI, Vicario Dębnensi.
Admod: Rev: D. LAURENTIO TYRAKOWSKI, Vicario Nèómeſtē.
Admod: Rev: D. ADALBERTO OLBINSKI, Vicario Nèómeſtensi, & Altariſtæ SS. Rosarii B. V. M.
Admod: Rev: D. STANISLAO RUTYNSKI, Præbēdario Jarocinensi.
Admod: Rev: D. FRANCISCO GŁOGINSKI, Vicario Pogorzelicensi.

A Ro-

A Rostris descendo ad Exedras, cum ORATORE CANTIO, apud Vos benevolentiam quæsiturus MECÆNATES AMPLISSIMI. Attentionem spero, proponens obtutibus Vestris JOANNEM, Disertus est voce gratiosa, facilè poterit conciliare animos, Quem oracula in verbis loquentem, non tantùm Academi Lucus, sed & ipsum stupuit Latium. Docilitas à LAUREATO habebitur DOCTORE, non enim in Tusculo hic perorat Tullius, sed in CATHEDRA PETRI, à qua certiora Tripode Orbi Christiano procedunt Responsa. Nec inquirit ritu veteri in publicum processurus, Amphiteatrũ Romana ORATOR Iste Capitolia, reperiens in Vobis omnis Literaturæ sedem, ac veræ Augustal Sapientiæ. Estis Lux Mundi, seu radiantia in Firmamento Ecclesiæ Sidera, quibus sterilitas vitiorum, fertilitas virtutum in Agro Domini adscribitur, si Cœlestibus non simillima Astris tunc nobiliora, cùm illa in potentias non influũt animæ, Vos in depravatam commissæ plebis agitis voluntatem; unde ORATOR CANTIUS, lumina habebit à Vobis Dictionis. Rivuli estis è FONTE in vitã scaturiente æternam erumpentes, sed uberiori quàm Nilus alveô, in Vineæ CHRISTI exundantes ubertatem, hinc erit fluidus ORATOR penes Vos JOANNES. Vos estis Illi Ministri quos sibi elegit, & signavit DOMINUS, ut portaretis Nomen Ejus coram Gentibus, estis Flaminii, huic unicè attendendo, ne zelus erga DEUM Cœlitesq;, in populorum extingvatur cordibus, Patroni Regni Poloniæ, & M. D. Lithvaniæ JOANNIS CANTII Laudes, ad gratiosum sinũ admittetis. Non potuit Orbis Literarii Luminare Majus, pulchrius radiare, quàm inter Vestros splendores, Qui Æterni Solis Radiô circũfusi, lucetis coram hominibus, semper tamen sub sipario modesti de Vobis sensûs. Non potuit inquam Hic ORATOR, Digniores habere Judices, quàm Vos alti judicii, edecumatæ prudentiæ Viros. Tutus erit JOANNIS Agnus à Teoninis dentibus, penes Vos bonos Pastores. Recubuit JOANNES EVANGELISTA in pectore CHRISTI, JOANNES CANTIUS in Vestrum corde reclinatorium ponit, quos Veritatis Magister, Christos suos vocavit. Seu, Universitatis Cracoviensis PATRIARCHA JOANNES CANTIUS, apud Vos elegit sibi stationem, apud quos universæ scientiæ & probitates, suam habent Universitatem. Verùm ne hæc verborum tantùm supponantur esse lenocinia, pono Te pro exemplo HIERONYME HORLEMES, Decane Foranee, & Præposite Neomestensis, in Quo ceu in Pantheo Numina, excellentes animi & naturæ Dotes, elucescunt omnibus ad stuporẽ. Non hyperbolicè loquor, Tu quæ in alios divisa sunt collecta tenes, omnis perfectionis Ilias, Sapientiæ enciclopædia inferendus. Ipsa manifestum facit loquela, quòd Tuum sit bibliotheca caput, in quo vix non omniũ

graviſſimorum Authorum adinvenire poſſumus volumina. Vult quis Scientiam de DEO? *ita loqueris, acſi in tertium Cœlū cum* Paulo *raptus fueris, prætendit* Politicos ſenſus? *ita illos emungis, ut dubiū ſit, utrum non ſis* Tautius, *quærit* de Jure? *ita decidis, acſi ipſe decidiſſet* Juſtinianus. *Mirantur in Te ſinguli probatum de rebus altiſſimis judicium, os hyblā eruditionis refertum, ſvadam Tullianō animatam entheō, ac ipſum ſcientiarum ſuccum, & medullam. Adhuc Tua tirocinia ſic cepiſti, ut Aſcanius palmam præriperes Veteranis. Poſt Scholaſticos luſus, à Gymnaſiis, ad* Aulas *proceſſiſti* PRINCIPUM, *hæc Tibi & non alia Palæſtra erat, in qua non niſi ad magna nati adoleſcūt Viri. Etiam Tui familiares diſcurſus, condi in paginas poſcunt, ſi loqueris oraculum, ſi taces miraculum. Monſtravit ut æſtimandum Tuū Ingenium, gravitate* Cato, *prudentiā* Seneca, *Legum Statutorumquē notitiā* Lycurgus, *conſiliō* Conſus, *pietate* Numa, *juſtitia* Ariſtides, *Boni Communis amore* Curtius, ILLUSTRISSIMUS olim, ac EXCELLENTISSIMUS MATHIAS de Radomicko RADOMICKI, GENERALIS Majoris Poloniæ, tandem PALATINUS Poſnanienſis, SENATOR Digniſſimus, *Cujus pariter adhæſeras cordi, ut Zopyrus Dario, Ephæſtio Alexandro. Non ediſſero effuſos in Te tot* ANTISTITUM *favores, cùm gratiam excedant Oris. Probārunt Perſonatam Intelligentiam, plurimæ cum ſumma Gloria per Te peractæ Functiones, aliquotiēs* Commiſſarius, *quæ erant perplexa facilitāſti, quæ intricata, & veluti Gordiō implicata nodō, mentis acumine pro Alexandrino mucrone reſolviſti. Tacebo dē Tui Apoſtolico Zelo, loqvuntur clarè Sacræ Exedræ, quòd Te in* Spiritu Eliæ *zelantem pro cultu veri Numinis habuere Myſtam, vel* Paulum *in tranſgreſſores Legis Divinæ fulminantē. Affabilis eras ſingulis, nemini non jucundus, niſi ſceleri lapis offenſionis* HIERONYME *fuiſti, contra cujus etiam in Purpura fautores, vel cum* JOANNE *inſurgebas. Decorem Domus* DEI *ut dilexiſti, intelligere quilibet poteſt, ut pro Immunitate Eccleſiæ ſtrenuè decertabas decertaſq; ut uberes rugoſa jam è fronte diſtillas guttas, ut ſtipulæ ſiccæ peccatores conſpergantur, ne in æterno Erebi ardeant foco. Stabit pro documento Tui zeli, & liberalitatis in Divos* Neómeſtenſis *futuræ Poſteritati* Baſilica, *quam porrigente munificam Dexteram* ILLUSTRI, *ac* MAGNIFICO Domino, STANISLAO de Grab GRABSKI, DAPIFERO Bracłavienſi, COLLATORE Digniſſimo, *curā & ſollicitudine propriā, collapſam è ruderibus ad priſtinum reduxiſti ſtatum, adornāſti ditāſti, & modò minimè viribus, & proventibus parcendo, non ceſſas ditare, adornare. Totum Te impēdis, licetſi gravatus annîs, ne impetantur Pulvinaria Deorum, non curas diſpendium vitæ & fortunæ, ut tantummodo ſtet in ſuo eſſe cultus Æ-*

ter-

terni NUMINIS, *quem quo Ordine, qua diligentiâ promoves, versantur adhuc in omnium oculis documenta. Singuli anni Tui sunt centena digni cum Theagene Corona. Quid dicam de Munere* DecanalisDignitatis, *quam quadraginta annis, cum maximo emelumento* Cleri Populiq; *indefessus sustentas Atlas, vigorem legum in omnib9 conservãdo. A te primo Mobili minores svavissimo motu rapiuntur Sphæræ, quid quid est optimum laudas, quid quid defectum sapit, Paterna comples Bonitate, Fratrem inter fratres corrigẽdo. Virga Directionis Tuæ, virga vigilantiæ est, sub qua non audent scelera extollere caput, si non virga Mercurii dicenda, quæ aurea toti* DECANATUI *adinvenit tempora. Dicerem plura, laudarem pietatem, quâ expugnas Cœlum, exponerem* Illustrissima BIBERSZTINORUM NOMINA, *quæ* Orbem, *famâ*, Ecclesiam *replevere meritis, ni mihi particulariter strictum imperasses silentium, & meo calamo in Tua evolare denegâsses elogia; cui ut nihil dulcius est, quàm laudanda agere, sic nihil molestius, quàm laudari! Quare pace tua non ibo in tuas panegyres, Harpocratem agam, tantùmmodo optabo, ut vivas si non æternus saltim diutissimus* Emeritissime PATER, *cancrino gressu rotentur in Cœlum (ubi jam tibi pro laboribus est reposita corona) vitæ tuæ soles*, Cui etiam de meis multa addat Jupiter annis. *Optarem hic centum ora, totidemquè cum Poëta linguas, cùm celebrandus venis*, PERILLUSTRIS, & REVERENDISSIME Domine ANTONI MIASKOWSKI, SCHOLASTICE Cathedralis Posnaniensis, *verùm cùm amplitudine meritorum Elogiastarum excedis cogitamina, potiùs* Adoratorem, *quàm* Oratorem, *Magni Tui Nominis Honorisq; agam. Non sunt tam expeditæ suo in cursu gradationes Rhetoricæ, nec adeo celer licet si pennatus Mercurius, ut illuc evolet, ubi Tuus*GENTILITIUS UNICORNIS *stetit. Dicerem illum Amaltheam, qui* cornu retinet divite copiam, *(a) plurimos ablactavit Joves, hoc est Viros, ad Sceptra & Coronas natos, qui Senatorias possedere Curules, Divorum ornavere Aras, Pastoritia Peda, Ducales Clavas, Mareschalcales Scipiones, Polonæ cum gloria portavere Gentis. Sed non delineo Majores Tuos in hac exigua pagella, amplioribus digni sunt voluminibus, veneror tantùm flexo poplite terrestria Numina Illustrissima* KOSZUTSCIORUM, LIPSCIORUM, RADOMICCIORUM, NIEGOLEWSCIORUM, PAWŁOWSCIORUM, KOZMINSCIORUM, WAŁKNOWSCIORUM, GRABSCIORUM, ZBIEWSCIORUM, DZIERZBINSCIORUM, LINOWSCIORUM, MYCIELSCIORUM, MALCZEWSCIORUM, DZIAŁYNSCIORUM, SZOŁDRSCIORUM, ZAKRZEWSCIORUM, CZACCYORUM, KRZYZANOWSCYORUM, *aliaq; innumera*SENATORUM Nomina,

(a) *Seneca in Medea.*

mina, *ad ornamentum* ILLUSTRISSMÆ DOMUS *Tuæ pertinentia, quæ distinctis egent Oratoribus. Revolvat tantùm quis* Annales, *lustret hujus Regni* Fastos, *legat* Długossum, Okulscium, *& alios Regni* Historiographos, *resciet quæ Ministeria, quos Honores ornavere MIASKOWSCII, quomodo &* salus, & pax, & aperta copia cornu, *(b) Sed non expono publico cultui* MAJORUM *Tuorum* Imagines, *cum in Te uno* REVERENDISSIME DOMINE *horum omnium observo Ideas. Nobilioris de sinu evolutus Lucinæ, statim Viridario Minervæ juventutis implantâsti florem, ut postea in Aris gratum Superis spargerêt odorem. Accessisti ad* Jagellonica Sceptra *candore notabilis gēma, in qua videre erat, extra Pyrrhi annulum, & Musas, & Apollinem, & Palladem, & quid quid docti pro Numine colunt. Didicisti omnia, quæ* Themis & Consus *sapiunt*, Aristotelicum *velocissimi ingenii cymbâ tranâsti* Eurippum, Ptolomæum, *de Cœlorum rotunditate, & terraquei figura globi feliciter penetrasti. Tandem sumis* PRÆLATURAM Insignem, *in* PERAUGUSTA Posnaniensi CATHEDRA, & *jam* Regia BOLESLAI Ossa, *Sortes spondent ad Majora, hoc quod possêdisti* STALLUM, *præludium gradusq; est Honorū Altiorum. Tuas etenim* Illustrissimas Ceras DIVORUM *exoptant* PULVINARIA, *ut illustrentur ab illis, pro composita ad omnem modestiam, altîs tamē Lineîs rugosa Fronte, hianti ore clamant ad Superos* INFULÆ, & *Te* Unionem, *Cui pretium à Magnis Dotibus, valor ab æstimatione omnium inest, ipse* PISCATORIS *expectat Annulus, utiq;* GENTILITIO Tuo UNICORNI Ara frequens. *(c) Quid dicam de mira Animi Tui moderatione? à qua tam procul abest fastus, quàm simulatio.* PRÆLATUS *es, sed non* præ *aliis* elatus, *sciens etsi in fundo Maris gemmam, volitanti tamen per aëra præseferri plumæ. Enim vero nihil humilis, & abjecti in generosa videmus Mente, quæ alta sapere, selectiora Scientiarum investigare, vulgaria communiaq; reiicere semper svevit. Tuo palatui nihil arridet magis, quàm Oratoriîs salibûs, vel dulci Hypocrene condita portio; hinc continò volumina revolvis, diligenti excutis examine, ponderasq; Sapientum Scripta, etsi, quid acuiè prolatum, eruditè scriptum, excipis subitò calamò, in Tuisq; notas pandectis, postea in talem evasurus Virum, qualem nec Athenæ habuere. Nihil dicam de Pietate, sunt Sidera testes, si etiam & Sole cadēte sub umbras, per elevati Cœlum versùs astrolabium cordis Increatū non specularis Phœbum. Gratulor solummodo Huic* DECANATUI, *quòd Ei maximum Decus Columenq; accessisti, ex Quo tot sibi vendicat, quot ex gemma Annulus, ex purpura Rosa, ex candore Lilium, ex Solis radiis, Cœli Luminaria.* Da Musa *(d) homagium cùm* ADAMUS *(d)* PRUSNIEWSKI, Propositus Jarocinensis, Vice-Decanus *celebradus adest,*

(b) Sarbievius lib: 2. (c) Martialis lib: 1. (d) Adamus interpretatur da Musa.

adest, nam etsi timeres volare in Elogia Oratoris pēna, ne magnæ mo-lis tentando opus subires pœnam, ducereris tamen ad ADAMUM, *ut si quid non bene de* ORATORE CANTIO *dixeras , Ille corrigeret , Cui* datum Nomina imponere rebus. *Optimus es* in Agro Domini Pa-terfamilias ADAME,*Te laborante circa* Granum Electum*Triptolemo, reddantur culmi ad horrea Cœli. Agis Hujus* DECANATUS Suc-collatorem Herculem , *in Cujus humeris tam bene ejus recumbit mo-les, quàm in bajulo Atlante Cœlum.* Pietatem, Prudentiam *laudē ne? his ut remanes conspicuus, ipse nonnisi livor, vel qui tyrresiam ageret non videret. In hoc* Sacerdotali Gradu, *gradus Tibi sæpissimus ad Al-taria, carpis de* Arbore Vitæ *fructus , non tamen interdictos quotidie* ADAME, *Quem ab his Cupediis nullum negotium potest avocare. Nō sic Vesuvius & Ætna ardentes ex se evomit flammas , ut* Cordis *Tui focus Vestali ergaSuperos exæstuat igne. Ad Tuam pertinet* Pietatē, *quòd Divinam Majestatem omnibus colas modis, utq; cultumEjus pro-moves, sunt documenta in* Ecclesia Jarocinensi *cuiq; ad oculum. Etsi nescirem, quòd sit* Prudentia *lucerna animi, & recta rerum agendarū ratio, à Te discerem, Qui ex mentis specula prævides futura , vigiles agis excubias, ne sub Te Optimo* PASTORE, *dispergantur* Oves, *fau-cibusq; cedant in obsonium infernalibus. Alta Mente præditum quis Te melioris notæ Vir non agnoscit? quid quid etenim ais , agisq;, bene in limati judicii ponderas lance,* verbo & opere, *omnibus datus in e-xemplar. Curro tandem in odorem* Gentilitiorū Florum, Illustris, & Admodū Rñdi Dñi, PETRI de Rozdrażewo ROZDRAZEWSKI , *qui sua folia explicuere in ornamentum Patriæ , salutares ex se distil-lavere succos, nocivis Flori Reipublicæ Polonæ scarabæis dedere vene-num, in sola trophæa non nisi excrescendo. Hoc est* Illustrissima ROZ-DRAZEWSCIORUM Domus , *dedit Ecclesiæ* Antistites , *Senatui* Statores, *Gradivo* Heròes , *Cujus Originem inquirere, idem est , quòd caput Nili investigare, quem si nunquam licuit videre parvum, pari-ter & hoc Sanguinis Mare , & in margine Altum erat. Dum Purpu-reas pro Stemmate* ROZDRAZEWSCIORUM *cernis* ROSAS, *scias* PRINCIPES *esse* ROZDRAZEWSCIOS, *qui non solùm de*BOSNO-NE Comite *nati, sed etiam & à* BOLESLAO Polonorum RegeCO-MITES *approbati,* (e) *qui Primas in Sarmatia Curules possedere. De* Hac Domo EPISCOPOS quinque, *Præsulum ornavere Infulæ ,* PA-LATINOS novem *Senatoriæ distinxere Purpuræ ,* CASTELLANOS sexdecem, *præter alia Fastigia excelsa Honorum Subselia coluere.* (f) *Non enumero alia* Ministeria , *cùm sciam quàmvis maximas in Orbe Præeminentias,* ROZDRAZEWSCIIS *esse Domesticas , quibus & in* Cæsariano Exercitu, *Mareschalcales portare Scipiones , & in* Galliæ

 Re-

(e) Okolski Tom: 1, p. 162, circa Annū 1270. (f) Juxta Europam Galliarum Regina.

Regno *primis ornari Dignitatibûs non est mirum. Cœtera* ROZDRAZEWSCIORUM *Decora, cùm non capiat hoec panegyris, sint sub* Gentilitiis Rosis. Liberalitatē *tamen silere nequeo, quam* Divorum Basilicæ, eruditorum Athenæa *deprædicant, deprædicareq; venturis sæculis non cessabunt. In* ARAS Numæ ROZDRAZEWSCII, *in has erogaverunt quantum? doce hæc & illa* hujus Decanatus ECCLESIA, *dum fermè nulla reperiri potes, (g) quam Eorum Munificentia, vel à ruderibus non erigeret, vel saltim erectam non ditaret. Multum debet his* Gedani Collegium *uti* FUNDATORIBUS, *obligata suis* BENEFACTORIBUS, *& Nostra* Academica Pallas; *Cui ego in vim gratitudinis, herbam devicti porrigo affectûs. Non assurgo in particulari Tibi in Elogia* ILLUSTRIS DOMINE, *nam uti currentes ad Tua Limina repellis Honores, ita & quasvis respuis Laudes. Pridem ad* tuas casses PETRE, *veluti ad Timothei retia, sponte ibant altiores Dignitates quæquæ,* Illustrissimi NOMINIS *Claritatē, magnasq;* Dotes *veluti umbra Solem sequebantur* Tituli, *ni Tua obstaret modestia, qui satis Tibi ducis ad gloriam, quòd* Boni Pastoris *adimpleas Officium. Impellis nunc Encomiastæ suadam in Tuas Laudes* PAULE PIERSCHLINSKI, Præposite Zyrkoviensis, *sed initium elogiorum statim arduum facis, dum* ILLUSTRISSIMÆ DOMUS, *propriisque Meritîs altiùs elevaris, quàm calamus ferri potest Oratorius.* ACERVUS *Tuus* Gentilitius, *acerbus est Panegyristis, non enim desiderat Eloquentiæ impleri manipulîs, qui jam pridem ex innumeris est coacervatus Ornamentis. Sub Hoc* ACERVO *ades* Frumentum Electorum, *an potiùs* Vas electionis PAULE, *cui Natura præter* Magnæ DOMUS *Splendorem, generosi spiritus excellentiam, elevatum ingenium, amabilem oris facundiam, totius corporis habitum largita est venerandum.* Ex *Te habet cultissimum sæculum magnam gloriam, habent Sacræ* Exedræ *alterum* Paulum, *dum eruditos gestus, gestîs confirmas virtuosîs, & quid quid dicis memoriam meretur sæculorum, quid quid operararis, aurò Cedròq; notandū. Sed jam digitum pono ad labellum, difficile enim coram Hortensio depromere ab ore rosas, coram Pericle verborum jacere fulmina, coram Nestore loqui favos. Cadit tamen sors, quam pridem optavi, Te deprædicandi* MATHIA TYMEK, Præposite Vilkoviensis, *cujus erga omnes affabilitas, ac ipsæ orisCharites, Tuas tentare laudes omnem mihi ademere timorem. Prœclaras Qualitates, eruditionis in omni Literatura eminentiam non adduco, elevant hanc ad ipsa Sidera* SAPIEHARUM SAGITTÆ, *quæ Tibi in Magnæ spei* Ascanio, *ut ad metam Sapientiæ dirigerentur, sunt commissæ.* PRÆPOSITUS *non solùm praes, sed & plurimum prodes, Cujus vitæ exemplaritas, moribus juncta Oratio, inclinat omnes ad*

Vir-

(g) *Ex visitatione hujus Decanatus.*

Virtutem. Hybleâ svadâ, in Tua verba, quæ Delphicis sunt potiora oraculis, felicior Orphæus audientium trahis corda, svavi affabilitate loquendi, influis sensim in hominum mentes, in quas semel admissus, imperas illis, ac pectoribus dominaris. Elucescit in Te, acsi in speculo animi candor, integritas actionum, innocentia vitæ, reddunt Te cōmissæ plebi commendabilem. Quid quid notas, Solus etiam apud Aristarchos sine omni nota NOTARIUS Actorum Hujus Decanatus PRUDENTISSIMUS, *vel Cedris, vel marmoribus nobiliori lapillo insculpendum. Etsi vellem* WOLNIEWICZII *enucleare Virtutes, sunt supra captum Oratoris, quarū Splendor Rhetoricis non eget luminibus, satis per se super sublimi Ecclesiæ Candelabro radiando.* Hospitalis PRÆPOSITUS Jarocinensis *est, sed quid quid ab aliis, vel rerum experimentis quæritur, vel magna acquiritur sollicitudine, non peregrinum, ast habet apud se inquilinum. Pericles non sum, ut possim tonare coram Te* ANTONI OLINSKI, Paroche Pogorzeliensis, *cujus laudabilia* Gesta, *non silentiosos Harpocrates, sed vocaliores requirunt Stentores. Digna mille laudatoribus illa Tui erga omnes* affabilitas, *quæ Te ab ipsis enutritum Charitibus probat esse* Gratianum. *Omnibus benevolentiæ adaperis sinum, usque ad* cor apertissimus, *subvenire miseris, egenis alimenta dare, jam Tibi pridem abiit in naturam. Parit Tibi non parvam æstimationē illa animi Tui sedati* lenitas, *sermonis* gravitas, *efficacium verborum* pondus, *responsorumque* Sapientia, *Qui cùm* Doctrinâ *paucos habes pares,* humanitate *tamen, Zelô Apostolicô, promotione Cultus Divini vix aliquem habes Superiorē. Seqvūtur Te quocunq; vocas hominum sensus,* ANTONI *non jam* feras, *sed* efferatos *terrigenarū* animos *ducis quocunq; orationis impetus trahit, adeo, ut lachrymas, pœnitentiam, dolorem, odium cùm Tibi libet, ab animis audientium extorquere possis, nam quid quid* dicis *probas factis, ex Te potest quilibet bene vivendi sumere idæam,* verbô *etenim & opere* præis *Populo ad salutem. Sine impulsu* ite ad Joseph, *eo cum veneratione ad Te* JOSEPHE BODNICKI, Paroche Siedliminensis, *quam & Generis* Nobilitas, *& omnibus æstimandæ* Dotes *extorquent ab Oratore. Stare deberem coram*Magno Tuo NOMINE, STANISLAE LUBONSKI, Paroche Włosciecensis, *ni potius eligerē mihi cadere,* Nobilissimæ Domus Decora, *ac præclara in Te Facinora lunata adora turq cervice.* STANISLAUS, Natis salus *es, non timent rapaces Erebi fauces remanentes in* CHRISTI *Ovili Oves Te* optimo *præsente* PASTORE, *quarum jacturam, & vitæ propriæ paratus es redimere dispendiô. Non manifesto* Apostolicum *in Vobis* Zelum, ANDREA KRULIKIEWICZ, ANDREA JOZEFOWICZ, ANDREA GRABKOWSKI; *si Erothesis movetur* an ardeatis? *hunc in Vestrum*

Corde quilibet adinvenit Spiritum, *quem in* antiquis Sacerdotibus *flagitabat* DEUS, *quibus assiduæ pro salute Gregis excubiæ, sunt quotidianæ; nihil etenim intermittitis, quod ad utilitatē Populi videtis spectare, non tantùm integro die, sed &* tota *quandoquè laboratis* nocte, *ut in procellosis hujus Mundi (qui dicitur Mare) fluctibus*, non nihil Cœlo capiatis. Os Veritatis *si* JOANNEM ADAMOWICZ *dixero, hoc de* Baptista *Sacræ loquuntur Literæ, illud de hoc* JOANNE *Brzeskoviensis testatur Ecclesia. Quid* PETRUS PILSKI? *si non* Petra, *ex qua ille in Vineam* CHRISTI *effluit fons, de quo si quis* bibit, levat ad Diadema *in* ÆTERNITATE *beata* Caput. *Taceo Tuum* versatile *qualibet in Arte* Ingenium MATHIA WYSZKOWSKI; *non edissero Vestrûm* Vigilantiam, Sapientiam, Zelum, Pietatem, Exemplaritatem vitæ, *aliasq; Excelsæ Mentis Qualitates*, STANISLAE LUBONSKI, MATHIA JUSZKOWSKI, BONAVENTURA KOZŁOWSKI, LUCA ZMYSŁOWSKI, LAURENTI KLAWITER, ILDEPHONSE RADOMSKI, VALENTINE MANTEY, MARTINE WROTECKI, CASIMIRE MOCZYNSKI, JOSEPHE TRZĘMESKI, STANISLAE RUTYNSKI, FRANCISCE GŁOGINSKI, *aliiq;* ILLUSTRES, *&* Admodum REVERENDI DOMINI, *nam hæc pulcherrimi Ornamenta Animi vident in Vobis cuncti, stupent universi. Piaculum tamen committerem, si de Te nihil dicerē* LAURENTI TYRAKOWSKI, *quem tóties de Sacris Exedris audivi cum* Pericle *fulminantem, cum* Hortensio *rosas loquentem, cum* Hieronymo *tonitrua jacientē; Qui dum persvades, nemo est, qui post Tua* verba, *contrito pectori non applicaret* verbera, *si ad Lydium venires, certè Tuum* Caput aurum optimum *nosceretur. Ducis* albo calculô *notandos dies* ADALBERTE OLBINSKI, *Cujus munificentiam in* Altare SS. ROSARII, *& alia piissima opera, non* explico, *cum jam nec sufficiat pagella. Gaudet Cœlum, quoties Tu* gaudiolam *inchoas partem, tremit Avernus, quoties intonas* dolorosam, *animæ sodalium Cœlesti perfunduntur jubilo, quoties* gloriosam *cantas. Reddo Vobis tantum* MECÆNATES *Amplissimi Laudes* CANTII, *cum Voto: ut pro Domo Vestra peroret coram* ALTISSIMO *Hic* ORATOR, *vivatis in mille ætates, ad ædificationem plebis, ornamentum Ecclesiæ, & Honores Altissimos.*

Ita precatur

Author Operis.

ORATIO.

ROgatæ lauream lingvæ, adhuc tirôcinantis Mundi adjudicavit infantia, nunc maturiores Achille Argumentô ætates confirmârunt. AA. Pridē Mercurii Virgā ab Hesperο ad auroram, ab horoscopo ad Arcton, protēsæ venerantur Plagæ, ad quam & Principe fusa Metallô Diademata regulantur. Facundi ad sonum oris cunctus obedit Populus, Majestates flectuntur, Mars deposito paulisper clypeô, palmas, trophæa, exuvias manibus ingerit Oratorum. Quid ita? en Regina Eloquentia habet fulmen, quod Deos terrestres de-

cet, ut percellat rebelles, habet flumen, ut rapiat invitos, habet vehementiam, ut impellat desides, habet flores, ut recreet parētes, habet pondus, ut inclinet omnes ad obsequia. Hastatam non mirare! ejus vinculis, quæ Regales supereminent Fascias, extra Romanorum consvetudinem, universæ colla submittunt Gentes. Hæc & Reges prout vult ducit, & populos trahit, quod in Claudio, & Philadelpho Ægyptus, in Tullio Roma, in Themistocle Lampsacus, in Pericle Athenæ probârunt, ad oris fulmina prosperitatis legendo gemmas, sub Mercurianis pennis securè quiescendo. Taceo hìc Homeri Camænam, de hac Alexándria in Pellæo Juvene dicet, taceo Pindari lepores, de illis tota Græcia in suis narrabit Sapientibus, quomodo ad numerum Oratorium, Apollineæque chelys symphoniam, semper cecinit triumphalia. Testor Latium, cujus tota fortuna è Sybillæ legebatur foliis, quæ minueretur divisa, si ab infensa suo Capiti Catilinæ dextera, acumine non esset defensa Ciceronis. Hebræorum Imperium hucusq; invisis Gentibus venerabile formidabileq; erat, quousq; Idumes Regnator, Sapientissimus Virorum Salomon regiminis tenebat Clavum, hôc avulsô, ruit in præceps, intestinîsq; præliîs conflagratum. Et ideò Persæ cum Assiriis, tantùm illis Regales imponebant Coronas, in quorū mentis sphæra, ut in Pyrrhi annulo observârunt Musas, scientes benè; quòd nullus solertiori prudētiâ nocivos Reipublicæ observabit pythones, contra observatos torquebit hastile, quàm ÆgyptiusApollo, qui in fronte Solem, arcum in manibus gestat. Quòd notet albô calculô dies Gallia, sui Herculis liliis debet, quòd non noscat malorum scarabæos Græcia, Hortensianis rosis adscribendū. Prosunt multum terris cum Sapientibus ORATORES, sed plurimum SANCTI: exerat suos Olym-

pus

pus furores, ut deleat à facie Orbis hominem, Illi cum Moyse mugientia inter nubes compescunt fulmina, sedant tempestates, & supremum Jovem, ex Tonante juvantem reddunt Patrem. Citetur ad instantiam criminum, Supremi Judicis auditurus Sententiam immũdus Mundus, ad Illud Tribunal, ad quod totius Generis humani devolvuntur Causæ, facundissimos Cyneas agunt, suîs meritîs ejus compensant defectus, ne damnetur ad inferias. Talem JOANNEM CANTIUM visuri, levate in mõtem Posnaniensis PETRÆ oculos AA. Vox Clamãtis in Causa Orbis è PETRA JOANNES, an veriùs Apocalyptica Aquila, Protectionis alîs ab æstu malorũ defendit Sarmaticæ Alitis Pullos, Mundi Christiani indigentias è Posnaniensi Latio Æterno transportat Jovi. Canticum in die iræ CANTIUS, sub Clavibus PETRI Gratiarum Thesaurus, de quo usq; ad satis accipiunt universi. An potiùs (quod à me ulteriorî probabitur Argumentô) ORATOR in CATHEDRA PETRI voce gratiosa disertus JOANNES CANTIUS. Suscipies per Antonomasiam Oratoris Titulum Doctor Divinissime, dabisq; præcepta, juxta quæ Oratio differat de Te, ad Cujus efficaciam imbellem refero svadam. Vos autem AA. ORATORI CANTIO lingvîs animîsq; favete, cum eo, qui par est imploro cultu.

TUllii versor in schola, quid sit Orator? pridem didici, tamen non quemlibet æstimo, qui nomen portat Oratoris. Fateor ad significandum rebus imposita Nomina, sed Magistrâ experientiâ doceor, hæc manifestativa signa sæpe mentiri. Appende in mentis statera Aurelios! intelliges & hos (ut putatur) minus habere, quos si ad limati judicii vocaveris Lydium, videbis quomodo non omne aurum quod splendet. Statue in

Orbis amphiteatro Pompejos, non ſuper cujuslibet vitæ ſtupebis ſcena, cùm & Valentini parum valeăt, & Cæleſtini non cogitent Cæleſtia, & Placentini non placeăt Superis. Amove ſtybium & ceruſſam, ſub Ganymedis forma advertes Therſitem, introſpice per mentis aſtrolabium, & Lucios obſervabis monoculos. Non eſt pariter prodigium ſub ſpecie Mercurii latitare truncū, Ciceronis filium non dico inter Romæ colles, ſed inter caules vix poſſe perorare. Raro in Hortenſio facundiæ Hymettus floret, in Appiano eruditæ mellificant apes, in Cynea Cecropium ſpargit Hybla nectar, ſæpè Liberii plùs de Libero Patre, quàm de Libris hauriunt, vix quando Papyrii, doctas ſuis voluminibûs replent Palæſtras. Procul hæc cryſis à DiviniſſimoPATRIARCHA, quem re & nomine videre eſt ORATOREM. Cum vitali luce reſplenduit in CANTIO facundia; Qui Univerſitati incorporatus viventium, ſtatim in primo vitæ ſuæ Exordio, quantus in ulterioris Confirmatione ævi futurus ſit ORATOR, monſtravit ſemina, dum ſic in cunis ipſo perorabat vagitu, quomodo necTullius èTuſculo, nec Delphicus è ſuo Tripode loquitur Vates. Beneficiô Illius Auroræ, quæ diem in Paradiſo produxerat, è copioſis ANNÆ & STANISLAI Parentum, fuſis ad DEUM pro fluido ORATORE lachrymarum guttis, ad Pyrrhi opprobrium annuli hæc enatavit Gēma, ſub gratioſo Solis Juſtitiæ aſpectu, inter Patrios montes Jagellonicis ad pretium Sceptris hic cōceptus Adamas, ingeniorum Phænix ad Academicum volaturus Lucū; in alto Carpati poſuerat nidum. O feraciorem Græciâ Oſvecimenſem Ducatum! qui pro Polonia, Polo ORATOREM dediſti JOANNEM. O felix Oppidum Kęty! in te uno angulo quanta Cœlum abſcondit decora, Sol hodiernus Cantiano illuſtratus Natali propalavit.

Pro-

Probant ſuîs commentîs Pòëtæ, hanc eſſe Hipocrene propriam Metamorphoſim, quòd homines transmutet in Deos: JOANNES luſtrali perfunditur lymphâ, mox Orbi Literario in Numen abiturus. Stetit ad ſacros Baptiſmi latices Hic Orator, nam ſcivit bene de Hoc præcipuè Fonte fluiditatē derivari ſermonis, ſuper quo Spiritus Sapientiæ ferebatur. Gēmas locuturus JOANNES CANTIUS, in Baptiſmalibus undis Unionē quærit Hypoſtaticam; utq; non inſulsè peroret, & Salem accipit; ad Oratorios ſales præſervaturus à corruptione Orbem. Quis putas puer iſte erit: quis Apollo futurorum præſcius, certa dabit ſine ambage petentibus reſponſa? Dicent hi Hyperionem ab angulo, jam Luſtricis bene lotum in undis, qui hæreſum perſtringet bubones, illumi nabit omnem hominem, & cùm fuerit in Apogæo, Saturnia Sarmatico Orbi cauſabit momenta. Dicent ab ANNA Genitrice, RESCRIPTUM GRATIÆ, à STANISLAO Parente NATIS SALUTEM, à limitibus Poloniæ VIGILEM ANNIBALEM, pro Aris & Focis excubantem. Sed non ſollicitando Cyrrhæa moventem ſecreta DEUM, vel à Capite Urbium erudiamur Roma, quæ à cunctatione Cunctatores, à torque Torquatos, à ſaturando dixerat Saturnos, ut ex impoſito Cœlitùs Nomine, JOANNEM CANTIUM, ORATOREM voce gratioſa DISERTUM veneremur. Correſpondent Nomina rebus in JOANNE CANTIO: à lacte non inſipidus Lactantius, Cui eruditi pro puerilibus cachinnis fuerunt ſales, in primo ætatis vere maturos dedit ſcientiæ, & probitatis fructus, morum gravitate juventutis prævenit levitatem. Sit aliis juventus ut ventus, in hac CANTIUS omnis incōſtantiæ expers, puerorum exoſus tintinabula, Senibus diſcenda agebat. Sit cerea juvenilis ætas, hæc in JOANNE ad virtutes li-

B que-

quescens, ad scelera chalybe, & Marpesiîs durior cautibûs videbatur. Statim de labore manuum suarum licèt necdum ætas induraverat artus, Novalia obtulit Altissimo CANTIUS, & quidem adeo rara, ut similibus germinandis sæcula desudarent. Adhuc è fasciis, extēdit ad Fasces in Regno Sciendi manus, dum Minorēnis, infantiam suam, quam sub Magisterio pietatis peregit, in celeberrimum UNIVERSITATIS CRACOVIENSIS transtulit Archilycæum. Ferax in vere Vinea hæc, & verè inter fatidicas Academi Arbores manu plantata Domini, quæ in suis primordiis nullas peccatorum tulit labruscas, ex qua ad pulchram Supernorum Collium æmulationem gratum sibi ungventum Sanctus odorat9 Sanctorum. Operam casibus dando eosdem, & se ipsum inflectebat Aris, cumquè Vox esset JOANNES, optimam cum Verbo Illoquè Patris constructionēm fecit. Ad Musas veniens, & pedes in carmina, & genua ad orationem componebat, Hic purissimus etiam ab intrinseco Cygnus, non jam ad Caystrios fontes, quàm potius nectareos Heliconis latices, ad numerum reducēdo laudes canebat Marianas. In Rhetorica Artem bene dicendi ex ideis Divinæ desumebat Mentis, Imitatio Illi non alia, nisi ingenii partus legibus accomodare honesti; hoc sublime genus, quod per elevationem devoti ad DEUM fieret animi, ille optimus conceptus, qui de cōbinata cum Humanitate Divinitate formaretur. Scivit enim Literariūm Solem dum Leonis de Tribu Juda hospitatur in signo, esse Serenissimum, atque ex mente Antiquorum, ad Oratorem pertinere agere, & orare. Philosophus tandem subegit spiritui corpus, intellectui ad speculandum proposuit Ens entium DEUM, voluntati ad amandum Summum præposuit Bonum, memoriæ percipiendos Favores assignavit Divinos, æstimati-

væ

væ æſtimare Cœleſtia demandavit. Externas quoq; ſui mortificavit potentias, placitîs objectîs attrivit viſum, amicâ horrearum reſonantiâ caſtigavit auditum, guſtui ademit ſaporem, tactum ad ſpinas & cineres damnavit, olfactui ſvaveolentia ſubtraxit ungventa. Eurippũ Philoſophicum cum Fonte bibit Signato CANTIUS, fluidus vel exinde ORATOR, adjunxit Schinotenibus Argumentorum fila, Hortenſianas roſas, Logicalibûs armavit ſpinîs, ReginæEloquentiæ, Scientiarum adjunxit Magiſtram, ducendo Oratoris perfecti eſſe, non ſolùm dare, ſed & ſcire definitones rerum, non ſolùm Ciceronizare, ſed & Platonizare. Hinc politioris Literaturæ ſedem JOANNIS Caput, de quo ad præſidium Chriſtiano Orbi haſtata quotidie prodibat Pallas, Doctorales præcingunt Laureæ, geſtientes exinde quòd in palmam huic cedant ORATORI. Exulta ſub Protectione CANTII fauſta ducens momenta Sarmatia! nulla adverſitatis experieris fulmina, dum Laureatus ORATOR, pro Te gratioſa voce perorat JOANNES. Induit Togam, pro quâ non bombycum labor, ſed merita dedere materiam, hæc etenim ſi conſulebimus Romanos, ſemper decet ORATORES. Tandem ex continuis actibus Habitum Decanalem recipit, quem in hoc honore vidiſſes abſque tumore, utpote bene gnarum, ſteriles tantùm, per terram ſterilem cantare rivos, ingenii flumina quò profundiora, eò mitiora eſſe, magis dignum laude Oratorem, qui facundus quàm diſertus. Angelici DoctorisDiſcipulus, mox Ipſe Intelligentia, à Thomiſtico Hyperione tantum derivavit luminis, quantum Parelion à ſuo Sole, MATTHÆO exponendo intentus, docuit quantam Imitationem ſaperet, quem etiam utpote ORATOREM, hujus Evangeliſtæ pridem decuit Calamus. Oratoris eſt ut ſit Vir bonus: ſed quis melior

etſi bile careat JOANNE? Ille ſe perſequentes odiô, quod alii contra naturã ſupponunt proſequebatur amore; gratioſa Voce Diſertus ORATOR, ſolas gratias cũ Charitibus ſpirabat, etſi quando Sanctior fulminabat Pericles, tunc ideo ut veluti Semeleio partu veri Numinis Interpretes naſcantur Mercurii, vel qui Cœlo fuerant mortui, veluti cervi fulminante Jove novam ad vitam, ad quam Evangelica obligantur lege, renaſcantur. Apparuit hæc Bonitas in JOANNE, dum licèt læderetur à multis, quod Sanctis commune, oſtiatim tamen ſingulos ad Vivificantis Hoſtiæ acceſſurus Aras reconciliare ſvevit, in hoc forſan injurius, quòd ne lædere velint perſvadebat.

Conturbare cave, non eſt placare ſvave

Diffamare cave, nam revocare grave.

Conſiderate! ſi aliqua erat in verbis arrogantia ORATORIS Hujus, ſi quis in factis faſtus; vincere ſciebat non triumphare, expeditus miles, ſed non jactabundus. Prudens erat rerum Æſtimator, ſed non cenſor, fortiſſimus Veritatis Aſſertor, ſed non aliorum expugnator. O ſtatum Quæſtionis ORATORIS CANTII! charitati quæ non æmulatur proximorum innixum: CANTIO alienas dotes, æſtimare, attollere, non ſub virgam Ariſtarchi vocare ſtudiũ, CANTIO abiici, ſperni, ne confundantur Fratres animus, apud CANTIUM nil bono pretioſius Nomine, Cui diffamare, grande detrimentũ, nam revocare grave. Adeſte hìc alteriùs famam Teonino dente rodentes Zoilli! quibus nullus diſcurſus ſine Ironia, nulla portio ſine ſarcaſmis, ab ORATORE CANTIO bene dicendi diſcite formam. Dicerem ergo JOANNEM CANTIUM eſſe ORATOREM pro Depre catoribus. Fuit in ORATORE CANTIO & efficacia, quâ non tantùm ad illam Colchidem, quæ Immaculati

Agni

Agni dives vellere, ad illam Palæſtram, in qua de Cathedra Crucis ſepties Verbum reſonuit æternum, Jeroſolymam tendens, efferas ad humanitatem reduxit Gētes, ſed etiam illos prædones, qui Illi in Sacris gradationibus ponebant clauſulam, ad beatioris vitæ epilogum inclinavit. O efficax in movendo CANTI! ad cujus oris ſonum qui lacerabant lacerantur, qui vulnera faciebant vulnerantur, ad cujus ignitum eloquium Caucaſô duriora corda acſi cera à facie ignis diffluxerunt. Dabunt hujus efficaciæ teſtimonium Sacræ Exedræ! ex illis quot quot Eccleſiaſticus ORATOR protulit verba, tot verbera obduratis dedit pectoribus, quot quot dictionis adhibuit lumina, tot flumina de oculis pœnitentiū ſalutari eduxit influxu, quælibet Ejus Periodus, Diviniſſimi Pneumatis referebat ſpeciem, omnis ſenſus, nnius ſensûs cum DEO erat. Miniſtravit velut alter (ut credendum Hieronymo) PAULUS, fulmina CANTIUS, ut congelatos animos ad amorem DEI ſuccenderet, infernales Leones quærentes quem devorent, vel hac luce diſſiparet. Protulit cum Neſtore favos, ut rationalia animalia, quæ recalcitrando tranſierunt in feras, ſvavi verborum deliniret popyſmate, & duræ cervicis homines ſub jugum CHRISTI inclinaret. Perſvadebat vehementiâ pœnitentiam, lenociniîs viam parabat DOMINI, movendo & delectando animos audientium. Adhibuit Elocutionē, uſus Cōmutatione vitiorū in Virtutes, Execratione in ſcelera, Obſecratione ad nutus hominū DEI, Incremento in probitatibus, Eparnothoſi in correctione errorum; Inventio Illi Gratiæ, Diſpoſitio Providentiæ, Pronunciatio ipſæ Charitates. Finis ORATORIS CANTII ſemper ut SUPRA. Fuit Authoritas in ORATORE CANTIO, Cujus frontem matura ſeveritas, ſupercilia Majeſtas, labia oracula inſedebant. Sed quæritis forſan qua Exercitatione tantus factus eſt ORA-

C TOR

TOR CANTIUS? en pia mente LIBRUM intùs & foris ſcriptum continuò revolvendo. Ex vulneribus CRUCIFIXI, in aditu Majoris Domus appenſi, Cœleſtē exhauſit Eloquentiam ORATOR Iſte, in illis manibus quæ hyacinthîs plenæ, ad Solem Juſtitiæ Oratorum reſuſcitabatur Phœnix, utque plurimùm in voce valeret gratioſa, ſæpe attritus, quid pro nobis GRATIA fecerit perpendebat. Et certè pulcherrima illa Oratorum, imaginatio, & acutiſſimi conceptus, qui in Capite, ſeu à Capite ſpinîs pro nobis ſauciato, ſolent formari. Selectiſſimus Verborum apparatus, quē nudè pro peccatoribus in Cathedra Crucis perorans ſubminiſtrat Orator. Optimè periodici abſolvuntur circuitus, quibus Myſtica alludit Cythara, in Calvariæ monte impia Judæorūm extenſa manu, ne humanum Genus, in funeſta morte ſemper Requiem occineret. Aquila ingeniorum es JOANNES, dum in Arbore vitæ nidificas. Deſipuit homo, cū ab arbore ſapere vellet, aſt CANTIO Lignum DOMINI, Arbor erat ſcientiæ, Cui à ſigno Crucis, nulla amplificatio difficilis potuit eſſe. Hâc CLAVI, quâ Cœleſtes reſerati Poſtes, argumentorum aperiebat domicilia, hôc MONILI quô legitima ſucceſſione Protoparentis noſtri in Nepotes transfuſæ exſolutæ prætēſiones, apprctiabat ſvadam; hoc (ut ita dicam) cornutô contra æternā Veritatem ARGUMENTO, quô adverſariorum in præmiſſis ADAMI formatæ, adversùs nos ſunt ſolutæ rationes, propriam lucubrationem roborabat ORATOR CANTIUS. Clamant hucuſque in MAJORI COLLEGIO, ante doloroſæ Matris Iconem pavimenti lapides, quòd erat in JOANNE CANTIO Gravitas, Qui an hoc diem tenebrîs involvit heſperugo, an retexo crine Sol Oculus Mundi introſpexit terram, flexo poplite adorabat Numen, ad ſe pertinere ratus agere & orare. Bene eſt

o CANTI! in summo dicendus Orator illi, qui ex visce ribus piorum affectuum materiam sumit ad dicendum. Non dura Metaphora, quæ à Divinis habetur ad humana. Insuper in semiviva mortificati corporis membra, vividam ex ore facundiam ORATOR transtulit Iste, Cui acutæ è ferro stellæ pro annulis erant; scivit enim se Illi placiturum Sponso, qui sacrô epithalamiô dilectam animam exigebat esse sicut lilium inter spinas. Desideriô Martyr, plenô alveô de innocenti corpore, in quod acsi insensibile sæviebat fundebat sangvinem, vulneribûs acsi oribûs pro nobis ad Cœlum perorando. In libertate vitæ sui captivus, Mundanas ex animo despiciens, ad sensum non admisit delicias, contentus illis, quibus à crebra MARIÆ Visione fruebatur; etsi quandoque defatigatis quo egent viventia, dabat membris quietem, sic suos CANTIUS dormivit somnos, ut Adam in Mysteriis, vel uranoscopus in Mari, qui licèt sopiatur nunquã tamẽ visum à Cœlo removet. Videre erat ut ORATOR CANTIUS durum lapidem mollibus anteponebat culcitris, nudîs pedibûs sæviente Borea quatiebat humum, abstinentiâ à carnium esca castigabat appetitum, probando Epicureos Polystratos non esse de numero Sapientum, Nec post aurum abiit Hic VIR, quia ORATOR JOANNES, quòd calcando cùm Diogene, ejurando cũ Apollonio, ridendo cum Democrito, fastiendo cũm Biante, nauseando cum Thaletibus, adeo in Olcussiensib9 postposuit argentifodinis, ut rediens Româ, sua sponte latronibus in quos inciderat omne redderet. Æstimet ut aurum Stobæus Ciceronis verba, ORATOR CANTIUS, aurô an veriùs aureâ eloquentiâ jam orci mancipia publicos in sylvis raptores oppignoravit Cœlo: alter ORPHEUS coegit inversas Arbores, ut decurrerẽt viam Domini. Quæritis hìc forsan? cur Capitolinam Urbem petiit

tiit JOANNES, ut illi Virtutum & Sapientiæ inferret Pantheon, vel ut è Tuſculo alter noſceretur TULLIUS, ſub Annulo PISCATORIS, Voce gratioſa Diſertus haberetur ORATOR. Ex Romano Tiberi gemmas extulit verborum, ab Apoſtolica Poteſtate BENEPLACITUM ad Cathedram PETRI in POSNANIENSI BASILICA ſibi exportavit. Multos Ganymedes à peregrino ſole ſalutavimus Therſites, CANTIUS ter Romuleos viſitando poſtes, peregrinos non induit mores, ſtultus enim ut Luna mutatur, ſapiens tanquàm Sol ſemper refulget. Aſſurexere in plauſus ORATORI CANTIO ſeptem Urbis Colles, ſed non ibi veluti in Perſia Macedo nomen quærebat, tantummodo per plures Colchides Agni Immaculati Vellus cum pretiis conquirebat Sapientiæ. Stabile quis negaret fundamẽtum Oratoriæ ſtructuræ CANTII? dum locatur in Petra; & Lapidi innititur Angulari. Jam ducet in triumphum animos ORATOR JOANNES, dum ſibi ſolvendi ligandique procuravit poteſtatem. Ipſi etiam Cœlo erat ad placitũ ORATOR CANTIUS, dum Illi SUPERI provident victum & amictum. Conſiderate, quæ dixi: intellexit ſuper miſeriam proximi CANTIUS, Pater pauperum erat JOANNES, indigentes paſcebat, cõtegebat nudos, omnes vel hîs, quas in Nomen traxit fovendo Gratiîs. Si influebat opulentia, non tenebatur captiva, uſque ad cor apertiſſimus erat ORATOR Iſte, omnibus ſinum gratioſus adaperiebat JOANNES, ut de ejus plenitudine acciperent univerſi. Totus alienis erat intentus commodis, abſtinentiâ ſuâ aliorum ſolebat famem ſatiare. Sciverãt Vocẽm gratioſam JOANNIS pauperes; novit & JOANNES pauperum clamores, Qui tunc ſe vel maximè ſuppoſuit ORATOREM cùm hos habuerit Auditores, quibus ſæpe locutus aurũm, & pro Oratoriis leporibus, fru-

fruſtum porrexit carnis. Hinc pono Aporiam, utrum non habuerit cum Cœlo commercia CANTIUS? dum ſua cum illo commutat, propriam portionem quam egeno dederat, publicè ab eo recipit. Si FerdinandusRex, certam auri argentique Summam quotannis ex ærrario pendendam (ut ait Pontanus) ſtatuit Rhetoribus, ſi Sigiſmundus Imperator, magnis DoctosViros honeſtavit Dignitatibus, plus à Superis ORATOR recepit CANTIUS, Quem & ſuæ menſæ fecerunt participem. Et ne ſit ſine Veſte Nuptiali CANTIUS, Togam quâ contegit nudum Cœlum Ei remittit, Cui hanc chlamydē, Ipſa Gratiarum reddiditMATER, utVoceGratioſa Diſertum probaret ORATOREM, A MAGISTRA Cœleſtis Rhetoricæ, ad quam Verbum Patris Metaphoram fecit, Orationis modum didicit CANTIUS, ex FAVO Samſonis Cœleſtem delibavit Eloquentiam. Si in pallio ab ELIA collato duplicem Prophetiæ Spiritum accepit ELISÆUS; quid dicendum de CANTIO inveſtito à MARIA? cùm quantitas muneris ex Perſona dantis colligatur. Eſt PUTEUS Aquarum ViventiūMARIA, JOANNES erit RIVUS Scholaſticam irrigans arenā, eſt MARIA electa ut Sol, erit JOANNES Orbis Literarii LUMINARE Majus, eſt MARIA Sapientiæ SEDES, erit JOANNES ORATOR, de hac Sede eruens Argumenta. A ROSA ſine ſpinis Eloquentiæ ſuæ derivavit purpuram, Duce Myſtica AURORA Sapientiæ intuitus Phœbum, à MATRE DEI & HOMINIS, in gratioſum ſuſceptus ſinum, inVirum bonum, dicendi peritum adolevit. Sed jam ad finem properat dictio, dū & ORATOR CANTIUS ad vitæ epilogum, ſi tantummodo dicendus epilogus, quem ſufficienterVerbū amplificavit Æternum. In Vigilia Nativitatis Dominicæ, ab univerſa terra pro Adventu ſe præparanteCHRISTI,

 ad

ad AulamCœli ORATOR CANTIUS pro Legatis. Homo quondam missus à DEO Joānis Nomine insignitur, nunc JOANNES CANTIUS ad Majestatem DEI revertitur, in Causa Orbis ORATOREM se monstraturus. Nec vano omine: perorat pro Genere humano coram Throno Æterni Numinis ORATOR CANTIUS, idque Tulliô vehementius, Isocrate facundius, Cynea svavius, Demosthene efficacius; dum per Illum in Virtute EXCELSI exit in mæstos consolatio, effunditur in ægros curatio, exundat in justos gratia, in peccatores venia derivatur. Tumba CANTII Repositorium Gratiarum est, ad illam qui in spiritu veritatis accedunt, melius quàm olim à Jovis Capitolini simulacro recedunt fortunati. Sunt hujus viva testimonia decē, & sex mortui per Intercessionem CANTII restituti vitæ, deprædicant efficaciamORATORIS Hujus plurimi muti Memnones, ad Sacra JOANNIS Lipsana, tacitæ ruptîs repagulîs lingvæ, loqvûturquè in CANTIO MagnaliaDEI. Sunt oculati testes veritatis hujus expertes lucis Andabatæ, lumen videntes Cœli, sistūnt pro documēto claudicantesVulcani, rectè ambulantes. Tot lunata cervice sui adoratores habet CANTIUS, quot sunt illi, quibus poplites restituit, sed quoniam sunt innumeri ideo calculum excedunt Oratorium. Quare non agam Archimedem, nam Gratia oris ORATORIS Hujus Orbem replevit terrarum, Cantiana Miracula nec in Pythagoræ tabula possent computari. Dirige oculum in appensa ad Sepulchrum DIVINISSIMI PATRIARCHÆ Vota, & videbis Sole clarius, quòd JOANNES CANTIUS sit ORATOR, voce Gratiosa DISERTUS.

Felix es POLONIA! non timeas Clodios & Caligulas, dolum fabricantiaMyttiliorum confundetur cogitamina, cùm habeas pro DomoTua ORATOREM

JO-

JOANNEM; de Quo, quod de Tullio Roma dicere potes, SPES MEA CANTI. Non minus beatam Te dicam Coronatrix Regum CRACOVIA, pro cujus Fortuna efficaciùs, quàm nuper Pericles pro Athenarum Gloria, perorat JOANNES, cujus integritatem melius tuetur ORATOR CANTIUS, quàm olim Trojæ securitatem Palladium conservabat. Quòd non sis conflagrata in illo communi incendio, dum undiquaquè quasi raptîs fornacibûs exundabat Ætna, non periit Tua cum fumo gloria, dic quæso cui debes? si non CANTIO, Qui è foco cordis Vestalibûs exardescente flāmîs, erumpente suo ignitô eloquiô, acsi ignibûs extinxit ignes. Quod albô calculo notatos ducis dies, cui adscribis? si non Gratioso JOANNI, qui tibi adhuc per Rudavam, lactea fecit manare momenta. Verbô: omnis abundantia in TURRIBUS Craci ad fluidum ORATOREM CANTIUM, sub Cujus Manu, in Hac PERAUGUSTA deposita BASILICA, & Posnaniensem PORTAM nulla audent intrare adversa. Manus hæc repellet quosvis insultus, à corrutis licetsi Urbis mænibus, etsi quæ consurgeret gygantomachia, arreptô PETRI (a) gladiô profligabit. Hæc hìc etenim manus est, quæ totum Erebum sub specie hirundinis vicerat, quæ Plutoni eripuerat prædā publicos illos in sylvis latrones, quæ dæmones langvoresque fugavit plurimos, multos jam defunctos reduxit ad vitam, quæ nudos vestiit, nutriit egenos, quæ Poloniæ flumina lacte fluere fecit, quæ Vulcanum Pergama Craci compescuit depascentem. Hanc Manum in PRINCIPE PETRA ipsas Gratias Europæo exarantem Orbi, dum exosculantur plurimi, JOANNEM CANTIUM in Cathedra PETRI Voce Gratiosa DISERTUM fatentur esse ORATOREM.

D2 Jam

(a) *Gladius hic in Ecclesia Cathedrali conservatur.*

Jam digitum impono labiis, cùm difficile ſit coram Tullio perorare. ORATOR es DIVINISSIME PATRIARCHA, ergo ſerva liberas in libero Poloniæ Voces. ILLUSTRISSIMIS Hujus Cathedræ PROCERIBUS, Qui ut Tuæ Gloriæ pulchriùs ardeat ſplendor, operæ pretium addunt, Cœlos fac in terris obligatos, ut in Sacra PETRI Navi, Inſulas, & Infulas attingant Celſiſſimas. Matrem Tuam quatuor ſæculorum ſeniô gravatam, UNIVERSITATEM CRACOVIENSEM, voce gratioſa recrea Fili, perora pro Sceptrifera Cruce, ut ſemper in exaltatione videatur. Suſcipe Cauſam Univerſi Orbis, & ſic Te univerſi ORATOREM, in Cathedra PETRI Voce Gratioſa DISERTUM confirmabunt, ut hactenus probavi, &

D I X I.